
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

6¹,-182.
(LN bis 26)



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

DE
T AM
RVM
NATV
RA
Concio
Her

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

DE MIRANDA ET AMPLISSIMA MAGORVM CHRISTVM INCARNE NATVM QVAERENTIVM ET ADORANTIVM FIDE EIVSQVE FRVCTIBVS.

Concio Sacra Habita in die Epiphaniæ Lemgouiæ

Anno 1.5.68.

AB

Hermanno Hamelmanno L.T.



Anno 1568.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

AMPLISSIMO ET FORTISSIMO VIRO, SPLENDIDA NOBILITATE, SAPIENTIA, VIRTVTE ET PIETATE EXCELLENTI DOMINO MELCHIORI A STEINBERG &c. SVO DOMINO & STVDIOSORVM PATRONO COLENDO.

SAEpius diſputatum eſt in Eccleſia a viris eruditis, quot numero fuerint Magi CHriſtum quærentes: Multi ex tribus diuerſis muneribus collegerunt, nõ ſatis tamen firme, tres numero fuiſſe: talis opinio cõmuniter retinetur in papatu, ideo quidam ex ueteribus, his præcipuis viris hæc nomina indiderunt Melchior, Baltaſar, & Caſpar, quibus nominibus ſubindicatum eſt allegoricé, imperia, regna, principatus & dominia debere aliquãdo Chriſto inſeruire. Nam Melchior ſignificat regem illuſtrem, Balthaſar dominum militiæ, Caſpar ſcribã.

Poſtq̃ uero T. Excell. vir nobilis & excellens quoq; nomen Melchioris obtineat, putabam id commodé fieri, ſi concionem de illorum nobilium Magorum, inter quos dicitur vnus Melchioris nomen habuiſſe, mirabili fide habitam, ad te qui cognitione regni Chriſti, virtute ac pietate illuſtris non minus es, quã genere &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

ſtemmate clares, mitterem: deinde iam antea inſcripſeram T. Excell. affinibus generoſis, vt D. Henrico à Salder celebratiſſimo uiro concionem de Natiuitate Christi, eiuſq; fratribus nobilib9 & eximijs D. Borchardo & D. Hilbrando à Salder ſermonem de Circũciſione habitam: tertiam igitur hanc oratiunculam de Magorũ fide a me nuper recitatam in noſtra parochia, uolui tibi ipſorum ſororio dedicare & offerre. Nã multi tuam pietatem, uirtutem, ſapientiam & doctrinam celebrant, & quoq; ſtudium & Zelum in quærendo Chriſto eiusq; Euãgelio amplectendo prædicant: tertiò audio T. Excell. in luctu eſſe ꝑpter uxorem generoſam amiſſam ad æterna gaudia: potiſſimum igitur conueniebat, ut ex animoſa Magorum fide ueſtra Pietas aliquam recreationem capiat, tuq; exemplo ac ſpe Magorũ erectus nunc deinceps fortiter in patientia tuam uiam Domino commendes: ita futurum erit ut uobis mitigentur aliquantulum ueſtri dolores.

Eſt porſecto in ueſtra familia magnum ornamentum clariſſimus & de Eccleſia Chriſti eiusſq; miniſtris optime meritus, generoſus ſenex Chriſtoferus à Steinberg iã ꝑ aliquot annos a multis Theologis celebratus in publicis ſcriptis, cuius multa erga miniſteria ſacra extant beneficia, ideo etiam uerum nomen obtinuit quia CHriſtum fert ac honorat in miniſtris Euãgelij & pauperibus. Illius autem beneuolentiam, pietatem, uirtutem, ſapientiam & humanitatem atq; candorem, Tuam ſimiliter Generoſ. imitari ac miniſtos Chriſti uenerari,

rari, eamq́; uarijs uirtutibus & ſingularibus dotibus prædítam eſſe teſtatur egregius & integerrimus uir D. Henricus Bouius paſtor Paulinus in celebri Hildeſia meus vetus amicus & in Dño frater. Hæc eſt cauſa cur hanc concionem V. P. inſcripſerim. Spero igitur T. H. & G. benigne ſuſcepturam eſſe, hanc noſtram dedicatiunculam pro ſua pietate. Dominus Ieſus regat V. P. ſuo ſpiritu & mitiget uobis dolores ꝑ eundem conſolatorem Paracletum Amen.

Lemgouiæ in die Antonij
qui eſt 17 Ianuarij
Anno 1568.

V. Excell.
deditiſs.
Hermannus Hamelmannus
L. T.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

DE MIRANDA ET AMPLISSIMA MAGORVM CHRISTVM IN CARNE NATVM QVAERENTIVM & ADORANTIVM FIDE, EIVSQVE FRVCTIBVS, CONCIO SACRA.

ETſi Chriſtus Dominus, factus ſit ſeruus, ut nos Dominos faceret, imbecillis, ut nos confortaret, & ipſius natiuitas coram ſeculo abiectiſſima uideretur, tamen omnium Regum & Cæſarum ortum ſuperat. Quia Chriſto homini nato & Prophetarum oracula & angeli totusq; Cæleſtium chorus miniſteria ac reuerentiam deferunt, atq; iam aſtra famulantur & debitum honorem exhibent, ideo hic ampliſsime quidē de gloria huius nati regis dici poſſet: & ſunt præter hunc in hoc euangelio alij loci communes elegantes, vt de uocatione gentium in Magis, item quomodo cor regis in manu Dñi ſit: prolixe quoq; hic deſcribitur bonitas DEI, quomodo ſuis proſpiciat, ſuos ducat, regat, ſubinde nouo gaudio reficiat, & pro eis dormientibus uigilet. deniq; quod hæc etiam ſignificata voluerit populo Iudaico, ne in poſterū ullam excuſationem haberent &c. item de metu et dolo tyrannorum &c. Sed de his omnibus locis, quos eruditiſsime in multis poſtillis & commentarijs explicatos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

ĉatos eſſe a Theologis noſtris cognoſcimus, nihil in hac concione dicemus, tantum fidem Magorum & veræ illorum fidei fructum expendemus, ut & nos exemplo eòrum excitati quæramus Chriſtum certa fiducia.

Fides (inquit Paulus Roma 10) ex auditu, auditus autem ꝑ verbum Dei, Iam vero inquiramus vnde iſti Magi fidem talem de Chriſto & certam ꝑſuaſionem, natum hunc Regem quærendi habuerint. Neceſſe eſt hos ex verbo Dei hoc eſt uel ex prophetia Bileam Numeri 24 vel ex Schola veteri Danielis ꝑ ſucceſſionem ex parentibus edoctos retinuiſſe hæc, alij etiã opinantur id eos forte habuiſſe ex Sybillinis verſibus, qui de huiuſmodi noui regis natiuitate aliquid expreſſè habẽt ſed quia illi extra canonẽ ſcripturæ ſunt, merito omittuntur: Sunt qui putant illos, veluti poſtea in ſomnis admonebantur, omnium primo ſic quoq; excitatos & ꝑ ſtellam ſingularem confirmatos: Erat etenim per id temporis adhuc vſitatum vt etiam uel ꝑ angelum vel in ſomnis reuelaret ſuis ſecreta Deus, quoniam nihil adhuc literarum de nouo teſtamento extabat: Quod cum nos iam certis libris comprehenſum non minus, quam vetus teſtamentum habeamus, neceſſe eſt ut patefactꝰ verbo tantum & non amplius reuelationibus clãcularijs, credamus.

Quocunq; medio eoq; nobis incognito huc ꝑuenerint Magi, non anxie diſputatur, interim certum eſt ipſos ſpiritu ſancto intus eos mouente per ſtellam illã nouam & ſingularem (quæ non fuit angelus, ut quidã

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

putant, ſed potius euidẽs quædam demonſtratio in cœlo nati noui regis) excitatos eßе, ut iam certò ſibi perſuaſerint illum, quem ſtella ipſa indicaret natum in Iudea, uerum eße Regem non tantum Iudæorum ſed etiã omnium gentium, imo Regem gloriæ & omnipotentem fore DEI filium eumq; æternum: Hoc inquam eloquio excitati, alacres iam inceperunt cogitare de iſto rege quærendo & adorando, ut certam ac indubitatã pro ſuo ſancto Zelo fiduciam in iſtum ponerent: adeo nullas viſa tali ſtella & intellecto aliqua ex parte noui huius Regis myſterio, nectunt moras, nihil reluctantur, neq; quicquam de huiusmodi patefacta Dei reuelatione dubitant amplius, ſed omnia eſſe vera, firma & certa indubitatè credunt, ergo mox accinguntur itineri alioqui omnium laborioſißimo & remotiſſimo, magnalia Dei ſpectaturi. Illos profecto nullus labor, nullus itineris abſteruit ſumptus quantumlibet magnus, neq; vllus retraxit periculi metus, non ipſos uertit incomoditas itineris, nec moleſtia in tam longinqua profectione deuoranda terruit aut ipſos languidos fecit. Nam quem modo cognouerant eſſe aſtrorum potentem & dominum cæli, eundem credunt & gubernatorem & in periculis ac diuerſitatibus tam varijs auxiliatorem adfore, atq; ſimul protectorem ſedulum, deniq; munificũ, liberalem & fidelem remuneratorem, ideo indefeßè ꝑ tot regiones vagantur, hinc eſt, quod impigri per tot Maria, flumina & ſtagnos nauigent, ꝑ tot agros, montes, ſyluas, campos & paſcua currant, tot tempeſtates perferant,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

perferant. & uaria incommoda deuorent, nec deſiſtunt ab incepto curſu donec quæſitum puerum Regem inueniant: Hic mihi videant Chriſtiani, quomodo hi Zelo ſi homines poſtpoſuerint omnia ſua domeſtica & publica (quia cum terreretur Herodes rex cum tota Hieruſalem aduentu Magorum, conſtat ipſos non priuatas ſed publicas perſonas ac ſummæ autoritatis ac potentiæ viros fuiſſe) negotia, negligunt familiã, domos, agros, prata, bona, diuitias, atq; adeo uocationem ipſam: Hæcq; omnia commendant Dño & quam uiderunt ſtellam iſtius noui Regis, obedienter & letiſſimè ſequuntur abſq; ulla mora, & pergentes progreſſibus aſſiduis quærunt illum Regem.

Etſi vero hac inſtituta profectione, domi abſentes iacturam rei domeſticæ faciant (oculus enim Domini ſaginat equũ) etſi magni ſumptus & diſpendium pecuniæ in itinere facienda eſſent, tot incommoditates, tot pericula, labores & moleſtiæ deuorandæ, tamen pro ſua excellenti & mirabili fide, omnia illa ſua cenſuerunt damna tantum vt hunc regem Chriſtum lucrifacerent (ſicut de ſe teſtatur Paulus Philip. 3) Imo non tantum de ſumptibus faciendis in itinere cogitant, ſed etiam quomodo eximia dona & theſaurum aliquem hoc eſt aureum quoq; munus nouo Regi adferant. Hæc profecto non fuit vulgaris fides.

Ingreſſi tandem vrbem Regiam Hieruſalem poſt longam demum profectionem, querunt quidem de nato nouo Iudeorum rege, interim liberé & aperté con-

 fitentur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

ſitentur ſine metu, cui in patria crediderint, in quem ſixos oculos & animum in itinere habuerint. Clamant enim ingenue, vbi eſt ille, qui natus eſt rex Iudeorum? Nihil quidē dubitāt de Ntatē Regis, nō dicunt, an forte natus ſit, locum tantū modo petunt indicar alibi in Iudæa, natum eſſe ſciunt & ſaiz annunciant, tantum vbi ſit & inueniatur, interrogant. Herodem non neſciebant, quia fuit ſine dubio Herodis fama p orientem ab Hieroſolymis vulgatiſſima, interim tanto & tam præclaro rege præterito, alium eumq́; nuper natum quærunt, nihil metuentes de alio quodam rege præter ipſum, interrogare & inquirere, ideo non ipſum quidem timent iam cum ſuis filijs præteritum ab ipſis, ſed alium inquirunt, eumq; non in palatio Herodis (in quo etiam neq; Archelaum neq; alios filios Regios quærere ne dum honorare cogitabant) ſe inuenire poße putant. Sciebant forte Herodem alienigenam eße, aut diuinitus admoniti alium eſſe illum regem, cuius ſtellam viderant pſuaſi erant. Ideo in aula, in palatio in ſplendore Regio relinquunt Regios liberos & ecce tendunt mox in Bethlehem, ut ibi pauperculum, contemptum & abiectum puerum in miſeræ matris eiusq; inopis gremio, & in viliſſimo quidem tugurio iacentem paulo poſt adorent: Sed ut deinceps inuictam fidem hominum Ethnicorum conſideremus, audiamus ipſorum dicta, quæ ſunt, Vidimus ſtellam eius: notetur quod dicunt, vidimus eius, eius inquam, ſtellam, non alterius regis vel cuiuspiā præcipui hominis: adeo erāt certi de ſinglrī

preter

preter Herodem & ſuos, quopiam rege nato Iudeorum, ut nihil addubitarent. Sic etiam ait Paulus, Certus ſum cui credidi: Et ſane hi homines pro ſua prudentia cogitare potuiſſent, Indigne hoc ferret rex Herodes, quod de alio rege quæramus, & forte propterea nobis metuenda eſſent vincula, exilia, vitæ diſcrimina atq; mortis pericula, quia præterimus regem & regios filios: Vidimus turbari ſuper noſtra relatione de nouo rege, totã Vrbẽ & Herodem regẽ ideo nos poſſemus ſeditionis accuſari, quod regem in ſua gubernatione & Remp. in pace florentem cõmoueamus & de nouo ipſisq; nondum cognito vel inaudito rege prædicemus. Sed huiuſmodi timidas & meticuloſas cogitationes ac ſcrupulos, ipſius gratia ac ſpiritu, quem venerant ſalutatum, iam diu corde exemerant & repoſuerant, & ſic quoq; ipſius opera, cuius ductu e patria egrẽſſi iam iter abſoluerant incolumes, ſe euaſuros ſperarunt atq; ſane ipſorum animoſa fides & ſpes eos non fefellit: Neq; interim clam ſe ſubducunt, non etiam paulatim & furtim ſucciſiue alter poſt alterum ꝑ diuerſas vices & plateas e portis ſe emittunt: Iam etiam illi ipſi non langueſcunt in fide & ſi in Metropoli Iudeæ non inueniant puerum quæſitum, imo comperiant nulli quicquam conſtare de huiuſmodi nato rege in tã celebri vrbe eaq; primaria totius Iudeæ, & potius cõmoueri propterea omnes, nam rex Iudeorum præcipue debuiſſet in Metropoli Iudeorum naſci. Perſtant etenim in ſua ſententia, vidẽ natum eſſe omnium fidelium regem: & talis conſtans relatio, (corde enim cre

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

ditur ad iuſticiam & ore fit confeſſio ad ſalutem Rom. 10) ac certa in illa ſua ſententia perſeuerantia apud regem & vrbem ſunt efficaciſſima, vt ſane eſt verbum Dei quouis gladio penetracius Hebreo, 4. Sic quod corde credunt ore confitentur libere, & aperta fit illorum confeſſio, qua non leuiter cõmouent regem Herodem ad terrorem vſq; : aperta apparet eorum conſtantia, fiducia & libertas tam publice quam priuatim in confeſſione, de nouo rege, cuius aiunt ſe uidiſſe ſtellam in Oriente, ideo huc, aiunt, acceſſimus ut eum adoremus : nam non eſt leuis cauſa quæ nos euocauit, quæ nos ex remotiſſimo Oriente huc pepulit: Tantus eſt hic rex, ut quoq; ſtellas habeat ſibi ſubiectas & ſubſeruientes, hunc regem venimus adoratum &c Hæc eſt ipſorum animoſa confeßio, nec quicquam cogitant de regreſſu &c.

Sed fuerint ita quod leuiter hæreret ipſorum fides in eo, quod Chriſtum non uiderent natum in Metropoli, vel ibi a quoquam cognitum (cur autem non in vrbe regia Hieruſalem, ſed in vili Bethlahem voluerit naſci, humilibus & paſtoribus annunciari, in preſepi reponi, alibi dictum eſt) tamen manent menbra Eccleſiæ, audiunt verbum ex doctis Hieroſolimitanis reuerenter, manent in ſtudio & ardore priori quærendi puerum, nihil addubitant, quin natus ſit, ſed ubi natus ſit ignorant: Et quod errant boni homines in loco, id mox corrigitur per ſacram ſcripturam, ſic vident ſcripturam cum miraculoſa peculiaris ſtellæ apparitione

one cõuenire, quoniam non aliter ſunt ſuſcipienda mi-
racula niſi quatenus cum ſcripturis cõueniant. Benig
nitas Dei facit ut per prophetiam Micheæ & in fide
confirmentur, & de loco natiuitatis Chriſti doceantur.
Sic quidem iam uerum eſſe & manere conſtat hoc dic-
tum Pauli, fides ex auditu, auditus p verbum Dei. Sed
ſummopere nobis hoc mirandum occurrit, quod hi ho-
mines non ita ad ſcripturas Biblicas aſſuefacti, imo Gen-
tilium ſacris hactenus dediti, mox etiam propheticæ
ſcripturæ fidem adhibeant. Herodes propterea ſi-
bi prælegi curat ſcripturam ut firmam occaſionem et
idoneam cõmoditatem habeat occidendi Chriſtum, ſed
ea lectio ipſis cedit in bonum, ut electis omnia coope-
rantur in bonum Rom. 8. Ideo nunc uerbo Dei con-
firmati relicto rege & vrbe celebri ac Metropoli Iu-
deæ, diſcedunt non quidem vt regrediantur in ſuam
Regionem exiſtimantes ſe deluſos, ſed ut recta iuxta
ſcripturæ oraculum in Bethlebem oppidulum Iudæ,
ut ibi ſimiliter diligenter inueſtigent de nato rege Iu-
dæorum, ſe conferant: Interim nos õnes bene expen-
damus quantum tentationis & hic ſuſtinuerint, quomo-
do etiam fides eorum ad dubitationem pertracta ſit,
dum neminem intelligãt quicq; ſcire in tota vrbe de hoc
rege nato, neminem quoq; ſe ipſis ſocium adiungere ex
ijs qui vicini erant, quibus præcipuè promiſſus erat,
qui de eius Natiuitate & loco natali huius regis paulo
ante ſcripturam propheticam attulerant, qui quoque
de huius regis ſtella ex eorum relatione edocti erant:
Cogitarunt forte, Iudæos habere ſcripturas fabulæ loco

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

omnemq́; de futuro Meßia abiecißeſpem, poſtq; nemo eorum uel ſcripturæ loco uel ſtellæ ſingularis apparitione moueatur ut eat in Bethlahem quæſitum hunc nouum Regem cum ipſis: ideo ſpe fruſtrati ſumus, & nugæ videntur eſſe omnia illa, & nos nihil aliud niſi actum egimus, fortaſſe inquiebant iſti homines inter ſe ſe: Poteſt quidem fieri ut talis cogitatio animos eorũ ſubierit, & huiuſmodi ſecum colloquia in itinere habuerint, interim in continuando itinere & quærendo nouo rege ꝑgunt, non deſiſtunt ceptis & a propoſito licet vacillantes & fide nutantes: atq; ſine dubio grauißimæ tentationi oppoſuerunt ſingularem ſtellæ iſtius noui regis apparationem, ſcripturæ propheticæ oraculum, ex quo etiam locum Natiuitatis eius indicatum haberẽt quo nomine tantò promptius, regiam urbem deſerebãt & in Bethlehem proficiſcebantur: Hac iterum recreatione & conſolatione erigunt ſe in tentatione atq; concepta firma ſpe de inueniendo Chriſto progrediuntur, nec eos piget itineris, nulla quoq́; impatientia propter moram ipſos a ꝓpoſito retrahit, non mox deſperabundi recurrunt ad ſuos re infecta, ſed animoſè pergunt, uarijs conſcientiæ tentationibus & diſputationibus occurrunt, ut diximus: At uidete dilecti, quomodo in illa lucta & leui dubitatiuncula adſit æterni DEI gratia, qui eos erigit & in pio propoſito confirmat pergentes, apparet etenim denuo ipſis ſtella illa noui Regis ſingularis, qua denum viſa non leuiter recreantur, non parum gaudent, ſed abiecto iam omni metu, remota omni ten-

tatione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

tatione atq; poſtpoſita dubitatione vidētſe non fruſtra-
tos ſpe, & nunc demum cogitant ſe compotes voti fu-
turos. ita Dñi gratia ſemp̄ in fidelium cordibus opera-
tur gaudium pacem & ueram lætitiam, ut ſemper ſit
pacata conſcientia: ut hic fieri uidemus, quia ſine dubio
gratias agunt DEO, pro huiuſmodi eius ſingulari fauo-
re, agnoſcunt, hoc dei beneſitium ſingulare, ideo nunc
merito gaudent, & hæc eſt uis ac efficatia fidei quæ in
rebus cœleſtibus exultat, filij autem huius ſeculi gaudent
& lætitiam capiunt ex luxu, crapula, diuitiis & tem-
poralibus bonis.

Sed latius adhuc repetamus Magorum fidem, ut cū
admiratione eam imis reponamus pectoribus. Venien
tes in urbem regiam uident illam ab alio rege occupa-
ri, ut dictum eſt, uocantur in iſtius aulam & quidem de
illo, quem quærunt, nihil cognoſcunt uel percipiunt,
ſed audiunt ex quorundam relatione & prolatis ſcrip
turis patriam iſtius noui Regis fore Betlehem oppidu-
lum vile & perexiguum, & occurrit eis grauis tenta-
tio ex eo quod iſtum regem ſui negligere videantur.
Sed interim reiecto oñi conſilio humano & ſpe com-
mittunt ſeſe gratiæ Dei recta tendentes in Bethlehem.
Hæc profecto fides eorum non eſt exigua. Sed iam cog
noſcamus deinceps quid acciderit.

Vbi Magi illi ueniunt Bethlehē Iudæ et uidēt ſu-
per paruum tugurium ſtare ſtellam, profecto non mo-
uentur vilitate domicilij, non deſpectu loci, cū ipſos me-
rito deſpectiſſimæ undiq; ſpecies, paupertas parētū, tu-
guriū, ſualor & deformitas ſtabuli, fœtor, preſepe, offen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

dere & ſcandalizare poſſent: hic nullos homines vi-
dent: ideo ſane nihil hic fuit in ipſorũ conſpectu quod
ratio humana non extreme contemneret, interim con-
ſtans pſiſtit eorum fides: Nam quem ſtella indicat regẽ
huuc illi oñi remota humana ratione, agnoſcunt & ado
rant ut Dominum. Hic profecto miram conſideramus
fidem in his Magis: Vbi hic obſecro eſt Gynicæum
Regium? ubi hic pediſſequæ & ancillæ adminiſtrantes
puerperæ Regiæ? Vbi hic palatium regium, ubi cunæ
regiæ? O Magi quid facitis: puerum lactentem &
quidem miſerum infantulum adoratis in tugurio? ia-
centem in præſepi, pannis obuolutum uilibus agnoſci-
tis regem? Si Deum adoratis, ergo eius ſedes eſt in Cœ
lo. Quid igitur hic quæritis in ſtabubulo uili, quid re-
ſpicitus tenellum infantem in deſpectæ matris gremio
occulto? Quid quæſo hunc adoratis regem? cur au-
rum adfertis? Hic puerulusne rex eſt: ſed dicite, ubi
igitur aula régia, ubi arx, & palatium Regium,
ubi Gynicæũ, ubi lectus & ſponda puerperæ de aurata?
ubi ſunt puluinaria molliſſima, ubi thronus & cu-
bile ſerico & tapetis obductum, ubi Curia Reginæ ubi
aulicorum frequentia, pediſſequarum & obſtetricum
famulatus, miniſterium & ancillarum copia? Nunquid
aula eſt uobis ſtabilium, & gynicæum, tugurium? cu-
næ & thronus regius, preſepe? Curiæ frequentia &
puellarum famulancium copia, Ioſeph & Maria? Di-
cite obſecro an ma trem in habitu regio & diademate
regali ornatam inueniſtis? an reperta eſt a uobis in
molli

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

molli & ſerico obducto lecto recubans? Puer etiam il-
le fuit ne cum matre ſplendide exornatus pro more re-
gali? Non profecto: Nam forte Maria vix habuit tu-
nicam vnam, eamq; non ad ornatum corporis ſed ad
tegumentum nuditatis, puer vero erat putidis faſcijs
inuolutus, ut canimus, Die Sammet vnnd die
Seyde deyn/das war grob heuw vnd winde-
leyn etc.

O igitur mirandam & ſuper omnia ſtupeſcen-
dam Magorum iſtorum fidem? Egrediuntur urbem
Regiam ac ſplendidam & veniunt ad oppidulum rui-
noſum: exeunt ex politia ampliſsima & ueniunt ad vi-
cum paruulum: Veniunt ex caſtro Regis terreni He-
rodis fulgido (quia ad ſe clam eos uocauerat Rex) &
tendentes in Bethlehem, ingrediuntur tugurium, In
aula Herodis neminem adorant ex ipſius filijs Regio
ornato excultis, & ecce hic puerum lactentem &
faſcijs inuolutum ac in preſepi poſitum adorant: neg-
ligunt & prætereunt in arce & urbe potentem &
magnificum regem atq; filios regios & faſtuoſos, &
hic abiectum puerum amplectuntur, ſuſcipiunt & ue-
nerantur pro nato rege Iudæorum: non offendebat il
los oppidi ſordities, non nauſeabat illis ſtabulum, non
ſordebat tugurium, non ſœtebat preſepis pabulum, nõ
ſcandelizabant panni lacerati, non retraxit eos lacten-
tis infantia, non deteruit illos matris ægeſtas ac nudi-
tas, &c. Hæc fides videtur om̃ium fere fidem ſupera-
re: Hic demum ſapientiſsimi facti ſunt inſipientes, quia

 adorant

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

adorant paruulum ætate & abiectum miſeria, atq; pau pertate & humilitate parentum deſpicabundum. Itaq; merito facti ſunt inſipientes coram mundo, ut fierent ſapientes coram Deo, coram quo om̄is mundana ſapientia nihil eſt aliud quam mera & uera ſtulticia 1 Corinth 1. 2. 3:

Abſq; dubio hi illuſtres ſpiritu vi i in tam neglecto puero non terrenum ſed cœl ſtem regem adorarunt. qui ſolius ſtellæ indi io contenti gaudebant in corde, atq; ore teſtabātur gaudium cordis, ideo oculi corū aſpicere non dedignantur cont mptibil m puerū, ſed cordis oculi & fides intuetur in eo ſalutem & vitam, & hæc eſt cauſa cur in humili & tenui puero dominium & gratiam agnoſcant. O miranda res: Quod ſi Chriſtum reperiſſent in templo ſalutariter docentem populum, eijcientem dæmonia, ſanantem claudos, aperientem cœcis oculos, ſurdoſq; curantem, mortuos excitantem, aut etiam vidiſſent ipſum aliquam ſingularem virtutem diuinam exercentem, non uſq; adeo admiranda horum hominum fides veniret, ſed iam cum nihil tale habuerint, profecto ſummis encomijs eorum Zelus & fides celebranda eſt.

Magna quidem erat fides in Elizabeta dum recenter conceptum a ſpiritu ſ. Chriſtum in matris vtero agnoſcit Dominum, ſed ipſa erat Iudæa, menbrum populi Dei, vxor ſacerdotis, certificata de futuro Meſſia per oracula Prophetarum, ſciens ex vaticinijs Danielis & reliquorum vatum tempus Meſiæ inſtare, de

indo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

in ſe p maritum ex Archangeli relatione cognouerat ſuum conceptum & mox naſcendum filium fore Meſſiæ præcurſorem: adde quod præſentiam Meſſiæ in Mariæ vtero, ſaliendo Ioannes in vulua matris indicaret, poſtremo dicitur in textu ipſam ſpiritu ſancto repletam hæc dixiſſe de Mariæ fœtu. Sed quid horum indiciorum & demoſtrationum habuere hi magi homines peregrini? qui quanquam inuenerint infantem ſub poteſtate & cura miſerorum parentum poſitum, in quo nullum poteſtatis ſublimioris apparebat argumentum ſed ſimplex & magna humilitas, tamen regem agnoſcunt & ſuum profitentur dominum: Nunquid ipſum Chriſtum ſedentem ad dexteram patris & ſuper cœlos exaltatum, gloria & maieſtate ornatum ac angelicis miniſterijs circumdatum, vt hodie nos Chriſtiani ex ſolida ſcriptura edocti facimus, adorarunt? non? ſed deſpectum & pauperculum puerulum, iacentem in preſepio ſtabuli regem & Dominum adorant. hæc profecto fides omnium maxima.

De Centurione dixit Chriſtus ipſe, quod non inuenerit talem fidem in Iſrael Matthei 8. ſed is interim Centurio (licet amplam fidem oſtenderet uerbis) ſæpe Chriſti miracula viderat, audierat Chriſtum docentē & multa dona hominibus conferentem penitius aſpexerat. Latro quoq; dixit ad iam iam moriturum & crucifixum Chriſtum, qui tum videbatur a toto mundo atq; a Deo ipſo deſertus et ad eundē in extrema miſeria poſitum, Dñe memento mei cum ueneris in regnum tu-

um, ſed abſq; dubio audierat & paulò ante viderat Chriſtum miracula facientem, docẽtem in templo, ubi q; habitum & proclamatum pro filio David. Centurio ille, qui viderat Chriſtum crucifixum, clamauit quidem poſt mortem Chriſti, Vere fuit hic filius Dei, verum is excitabatur ad hanc confeſſionem, terræ motu & obſcuratione Solis, tum quoq; de miraculis Chriſti audierat. Verum nihil tale hic reperitur in Magis, qui tantum nudam ſtellam habuerunt & poſtea ſemel propheticam ſcripturam audierunt. Hæc profecto eſt talis fides, ut nos merito pudeat noſtri torporis & diffidentiæ, qui tot promiſsionibus, tot teſtimoniis, & tam multis exemplis inuitati nec credimus nec ob oculos iſta omnia ponimus. Hactenus de fide eorum, nunc de fidei fructu dicendum erit.

Reſtat dicendum de fructibus ueris fidei qui conſpicui in his Magis erant.

Offerunt ex ſuis theſauris munera aurum, thus, & mirrham conſulentes & paupertati parentum, & foetori loci uiliſsimi. Contra ſcandalum graue fideles uiri iam hunc regem diuinitus conſtitutum eſſe ſtatuunt. Hæc inquam conceptio ſola eorum animis infixa Chriſto apud ipſos reuerentiam conciliat, Dignitatem eius adhuc occultam conſiderant in DEI conſilio, & quia certò ſtatuunt alium fore, quam nunc appareat, ideo fructum fidei ſuæ declarantes, regium honorem huic puero adferre minime eos pudet, ideo ſpiritualibus eorum oculis erat ſtabilum ipſis regia domus. Nam non

locus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

locum nato regi ſed rex loco ſplendorem & æſtima-
tionem adfert. Porro donis ſuis teſtantur vnde ſunt o-
riundi, neq; enim dubium eſt, quin attulerint hæc tan-
quam patriæ ſuæ inſignia. Perſis erat cõmune non ſi-
ne muneribus regijs adire regem. Eligunt hæc Magi
offerenda regi nouo & nuper nato, quorum prætiũ
Orientem nobilitat. Sicut Iacob patriarcha in AEgip-
tum mittebat præcioſos & ſelectos fructus terræ Ge-
neſis 43. Alij per hæc munera myſterium quoddam
allegorice denotari putant, ut rex per aurum, pontifex
per thus Chriſtus & per mirrham oblatio & ſepultu-
ra eius denotaretur : Sed nos illa miſſa facimus, & vi-
debimus ſecundum fidei fructum in Magis, vicꝫ obedi-
entiam.

Semel tantum admoniti in ſomnis de alia via in-
grediunda, ſtatim obſequuntur, nihil hic obmurumrant
Deo : minime dicunt, Siccine honorat ſuos cultores
utpote qui ipſum honorarunt munere regio & diuino
ut iam iſti cogantur furtim ceu facinoris cuiuſpiam rei
ac proditores clam per aliam viam dilabi : Si eſt rex
tueatur ſuos, ſi eſt ſaluator & liberator, conterat ho-
ſtes ſuos &c. Hæc & ſimilia obiecta ne quidem ipſis in
animum deſcenderunt, ſed abſq; murmure ſimpliciter
obediunt Dei oraculo : Credunt uerbo Dei non ad tẽ-
pus ſed ſemper, deinde non excogitant quoq; nouum
& ſuperſtitioſum viuendi genus relicta priori vocati-
one, ſed diuinitus admoniti revertuntur in regionem
ſuam, ideo non debuerunt in Bethlehem uel alibi in Iu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

gæa manere ſed regredi ad ſuam vocationem (fuiſſe enim hos ſapientes magos Rerump. gubernatores, ueluti id ex claßicis ſcriptoribus facile probari poteſt, nemini ſit dubium) quam propter Chriſtum non habebant opus deſerere. Quiſq; enim debet in ea vocatione manere & in ea inſeruire Deo, ad quam vocatus eſt 1 Corinth. 7. Sic & paſtores Lucæ 2 cœleſti & angelica reuelatione ad Chriſtum perducti, reuertebantur poſtea ad ſuam rurſum uocationem hoc eſt ad gregē.

Ideo quidem inepti ex patribus deſerta uocatione ſua ſe abdiderunt in monaſterijs: Verum quiſq; poteſt cum Magis in legitima ſua uocatione Deum celebrare: Interim nec hoc erit opinandum quod ad priorem idolatriam & impios errores ſint reuerſi, nam hoc minime in eis tam eximia fides in unicum Chriſtū fundata permiſit, imo tunc potius ipſorum conuerſio eſſet auerſio a Deo: Si enim non ſunt reuerſi ad Herodem impium, multominus debuere ad alios idolatras reuerti, &c.

Hæc ſunt dicta de fide & fructibus fidei qui in Magis erant conſpicui: nunc etiam applicemus ad noſtra tempora talem fidem & bona opera. Apud magos tā efficax fuit ſtellæ conſpectus, ut mox ſe tam longinquo & periculoſo itineri non ſine magnis ſumptibus & labore committerent, væ interim torpori noſtro, qui Chriſtum regem nobis toties patefactum & tam eximijs encomijs celebratum, tam frigide quærimus: Illi excitati per ſtellam nullis parcunt ſumptibus, nihil non

periculi

periculi propter Chriſtum ſubire recuſant : nos allecti
tam dulcibus & tam multis gratiæ & miſericordiæ di=
uinæ promiſſionibus, nihil fere propter Chriſtum face=
re & ſubire volumus, & tamen titulo & ore cupimus
eſſe Chriſtiani. Illi in locis incognitis difficulter Chri=
ſtum quærunt & nos qui non opus habemus Chriſtum
longinquè quærere, poſſemus illum in noſtris templis
in concionibus & uſu ſacramentorum inuenire, & ta=
men viciniſsimi rarius templa ingredimur : Illi nõ=
dum inuenientes in vrbe Regia puerum, pgunt tamen
quærere, & audiunt ſcripturas, eisq; ſemel auditis ac
perceptis prompte credunt : nos ſi non mox libera=
mur in periculis, diffidimus ueri Dei & ipſius filij Dei
noſtri ſaluatoris promiſſionibus ampliſſimis & tam ſæ
pe a, nobis ſimiliter auditis & pceptis lectisue, & in=
ordinata media quærimus: nos tam ſæpe auditam ſcrip
turam leuiter pendimus, & illi reuerenter illam ſe=
mel tantum auditam ſequuntur : Iſti nihil non tenta=
runt, omnia poſtpoſuerunt & libenter in longinquis
regionibus errarunt quærẽdo puerum nec deſtiterunt
donec puerum inuenirent, nos vix domo abeſſe poſſu=
mus per horam in hebdomada ut quæramus CHriſtum
in templo & concionibus, nec opus eſſet nobis diſcur=
rere p milliaria multa, habemus ipſum præſentem per
uerbum in promiſſionibus & ſacramentis, domi inquã
in altari, in libris, in ſacris locis ? illi non defatigantur
in ſuſcepto propoſito, nos ſtatim cum ſemel bene fecerĩ
mus, cum ſemel conci, nem audierimus, langueſcimus,

 uel.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

Illi liberè confitentur quem quærant & cuius cauſa ue nerint: noſtrum multi nondum noſcunt Chriſtum, licet quotidie in concionibus proponatur. Illi in regia etiam vrbe ut confitentur Chriſtum, ita & ſemel audita ſcriptura confirmantur: nos in Eccleſia & alias perſpicuis Verbi diuini teſtimoniis inſtructi multoties, uix ingenuè in pſalmodijs Chriſtum confitemur, uel ei gratias agimus, multo minus eum confitemur in tempore perſecutionis: & quidem raro aut nunquam cum Eccleſia hymnos DEO canimus: illi turbatione urbis & regis non terrentur, & nos mox ad ſtrepitum folij arboris cohorreſcimus: illi viſa iterum ſua ſtella gauiſi ſunt gaudio magno, & nos ſæpius viſa ſtella Euangelica, quæ eſt Chriſti doctrina, non afficimur ullo gaudio, quia concio ſacra nullam nobis parit alacritatem, ſed ſi ad horam protrahatur, tædium & nauſeam gignit. Illi non offenduntur uilitate loci & parentum miſeria & nos ſæpe multa cauſamur & prætextus quærimus: Iſti iacentem in preſepi adorarunt puerum, nos uero potentiſsimum victorem & triumphatorem Dominum dominantium IEſum CHRIſtum ac regnantem ſuper omnia ſecula, vix aut raro adoramus, nec eum in gloria Patris ad dexteram DEI noſtrum ſummum Pontificem agnoſcimus vel etiam seriò quærimus: Illos generoſos & potentes non puduit coram egeno Puero in miſero tugurio genua flectere, & nos minimos ac ſordidos Homines piget munera offerre regi gloriæ in miniſtris eius & pauperibus, aut eum in iſtis honorare:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

Quomodo multi hodie erga miniſterium Eccleſiæ beneficiis propagandum ſint affecti, res ipſa demonſtrat: Illi ſemel oraculo per ſomnum admoniti, mox obediunt DEO, nos uero toties inſtructi & inuitati verbo diuino, tamen nec obedimus, nec iuſſa DEI ſequimur.

Si hæc & alia conſideremus, videbimus in ipſis ſingularem fuiſſe fidem, in nobis uero propemodum nullam aut admodum exiguam etc.

Lectori ſalutem Typographus

NE vacuę remanerent pagellæ: extemporale hoc Epigramma ſubiecit autor, qui cũ nõ ſit Poeta ſed Theologꝰ, debes ruditatem & errata merito boni conſulere, ſi ea in his verſiculis deprehenderentur.

CONSOLATORIVM EPIGRAMMA H.H.L

Extemporale

Ad Ampliſs. & Nobiliſs: Virum D. Melchiorem a Steinberch lugentem mortem generoſæ ſuæ vxoris, natæ ex ueteri Familia & nobili proſapia de Salder &c. ſcriptum.

M elchior a Steinbergh quid nam tu triſtis et æ-
  I ncedis, facie pallidus eſq; tua? (ger
S æpius uxoris luges pia fata, dolore
  I mmodico defles coniugis exequias?
D eſine vir præſtans curis torquere moleſtis
  T e, vxoremq; bona præcipe pace frui.
P ace fruatur ea, quam Chriſtus reddidit vnus.
  G audeat Angelicis vxor amica choris,
Q uæ Chriſtum caſta coluit pietate magiſtrum.
  A c Euangelium mente profeſſa pia eſt
H æc fuit in ſummis patiens matrona periclis.
  C hriſte tibi fidit iuſtificaq; fide,
H æc morum dulci pariter grauitate nitebat.
  P auperibus gratum præſtitit officium.
H anc voluit Chriſtus transferre ad gaudia cœli
  E reptam vario multiplicíq; malo.
V xori hanc charæ vitam gratare Marite,
  V iuereq; in cœlis hanc ſine perpetuis
E xempta eſt curis exempta doloribus atq;
  C aſibus humanis, vxor amica tua eſt.

Sic

S ic periјt Rahel coniunx caſtiſſima Iacob
AE tatis medio flore, adamata uiro:
T riſtis erat Iacob ſed ſpem ponebat in vnum
C hriſtum, qui aduerſis eripiebat eum.
E xemplo Iacob te conſolare Marite,
P romiſſis Chriſti fidito pſpicuis.

SEQVITVR ETIAM BREVIS ADMONITIVNCVLA AD Generoſam matrem Iacobam natam ex nobili Familia de Aſſeburg, uiduam preſtantiſs. uiri D. Borchardi a Salder Senioris etc. & ad Inclytos eius filios fratres de Salder.

O Mater fratresq; ſimul vos ponite luctus,
E tſi ſint natæ fata dolenda nimis:
N ata ſororq; capit cœli nunc gaudia, veſtra,
I pſi quæ Chriſtus ſanguine promeruit.
Q uis poterit miſeræ curas proferre profanas
V itæ huius, cuncti vah quibus opprimimur?
E x his ereptam ſancte gaudete ſororem,
A ſpectu Chriſti quæ modo perfruitur,

Hancq;

H aneq; iterum letati in pace videbitis olies
C um venîat Iudex Chriſtus vbiq; potens
T unc bene ſermones dulces miſcebitis vna
V iuetisq; Deo lumina clara polis&e

Optime lector & in hoc ſermone paßim errata ty-
pographica boni conſule, ut in præfacione lege D. 3
linea 13. præmiſſam pro amiſſam, ita &
alia corrige obuia.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]



LEMGOVIAE ANNO
Dñi. 1. 5. 6 8.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 26 [6:1,-182 8°]